
Jacobus

Thomae Franc. Niobe academica



NIOBE ACADEMICA,

in tristi mortis spectaculo

Perillustris olim & Reuerendissimi Domini:

D. IACOBI BALTAZAROWIC,

S. Th: DOCTORIS & PROFESSORIS,
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonici,
Collegiatæ SS. Omnium PRÆPOSITI,
Curati Prosouiensis, Contubernii Staringeliani
Prouisoris, Collegij Maioris Senioris Patris;

DVM

In Ecclesia Collegiata S. ANNÆ,
Lugubri apparatu & ingenti Academicorum Ordinum dolore,
Mortales eius exuuiæ
conderentur;



A

M. THOMA FRANCISCO ORMINSKI,
in Vniuersitate Cracouiensi,
Philosophiæ Doctore & Professore,

Sepulchrali obsequio, in lucem publicam

PRODVCTA.

Anno Salutis 1687. Die 9. Mensis Maij.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac: Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr.

NIOBE
ACADEMICA.

TEnerrimo amori, cortina viſcerum mollis,
vt facile rimas omnes, ita dolori mille oſtia pandit:
Superficie nimirùm tenus amantium,
lambit corda non transfigit, afficit non immutat dolor;
Sed in cor profundè admiſſa triſtia vulnera,
non lacerant tantùm fibras, verùm ſine ſenſu ac vitali ſpiritu,
rigidas veluti Caucaſi rupes reddunt.
Vnde non immeritò
Niobe Tantali, Academicam Iagelonis induit
vbi nomen proprium exuit,
& doloris non obuij conſcia, obriguit in ſaxum,
vnum, pro bis ſeptem,
in victimam Libitinæ cæſum, contuita natum.
vis eſt immenſa doloris,
eoq; maior, quò præſentior, ima pectorum petit:
Adeò noua fatorum incus, inſolitam Proſerpinæ falcem eduxit;
vt Nonas Maij in Sextilis Calendas verteret
meſſemq; immanem Manium, tempore præmaturo colligeret.
Non Parcarum triſte opus hoc,
Cælo deſtinatum, nuperrimè completum,
in Perilluſtri olim & Reuerendiſſimo Domino
D. IACOBO BALTAZAROWIC,
S. Th: Doctore & Profeſſore, Canonico Cathedrali Cracouienſi &c.
Perfunde ſi potes genas lachrymis, Niobe Academica,
Spira, viuas viri ſpiraculo vitæ carentis virtutes,
vnà cum nato natas crederes, ſi naſcenti cum Lucina adfuiſſes;
Quas tamen iuuenilis prætexta,
ne cum Alcmenis nato, in cunis oriundas detegeret,
modeſtiæ contexit velis.
Accinctus ludo literario
in Sedis Regni primariæ, Literarum Ocello, Filia Regum Academia,
timorem Domini, baſim Sapientiæ arbitratus,
ne minimum ab eo, integro vitæ ſuæ tractu deflexit,
quin potiùs aurum auro addidit,
vbi, pio affectu, crebris ſuſpirijs & in Deiparam Virginem, continuo
& B. Patriarcham noſtrum Ioannem Cantium cultu excelluerit,
ne hoſtis antiquus haberet, quid in raſa Iuuentutis tabula notaret,
omninò quærens quem deuoret.
Talibus ſeptum præſidijs
profectus in literis ambit inſignis, alios alibi fugere doctus,
à ſupina deſidum fugatus ignauia.
Inde ſolidè compactum Eruditionis robur,


elogio

elogio suo altius enituit,
cum Laureas Philosophicas capiti imposuit,
capiti, ceu auro optimo.
Hîc demùm laboris templum dixisses,
vbi nihil honorificum, nihil acceptabile, nihil dulce, nisi labore conditum:
Deos omnia laboribus vendere si alicubi,
certè in Academia nostra laudatissimum,
quasi æternis cælestium decretis cautum foret,
ne quod viris Academicis labore vacuum iret tempus.
Ita laboris indefesso cultori,
pretium eiusdem honos offertur,
limina scilicet, Togatæ Virtutis Professorum, Domûs Minoris.
Quid ita?
Macedonis hîc opus acinace,
qui mille difficultatum soluat Gordios.
At non defuit inexhaustæ Domus Sapientiæ
Virgo & Mater Dei purissima,
Illam, quoties votis feruentibus vrgebat, difficultatum teterrima adurebat,
vt tandem dignus inueniretur
qui Præses philosophantium audiret.
Grauia quidem illius fuère lacertis, imposita cum purpuratis honoribus onera,
leuigata tamen plùs solito
(expertis credere fas est)
Diuinissimi Patriarchæ nostri contacta epomide.
Gloriabantur non semel rostra optatum nacta Magistrum,
superbiebat sanctiùs purpurata maiestas,
quòd ceu inclusa auro gemma,
Scientiâ, modestiæ cancellis limitatâ, scintillaret.
Conclusum hactenùs, quod Cælis inclinantibus,
in animis omnium iam pridem steterat,
vt linquens minoris Domûs tecta
Maioris, Patrûm dignus gremio sociaretur.
Non tùm sublimior mores transformauit honos,
imò quantò superior, tantò demissior
vnus singulis & omnia omnibus.
Diuinæ Scientiæ Professor factus,
non vspiam doctior,
quàm dùm benè viuere, benè mori cogitaret,
nullibi maior lectionis gratia, quàm in ædibus Gratiæ
quia D. ANNÆ gratiosis;
pluteus ille solùm amabilis, qui ad Aras, D. IOANNIS CANTII
suarum Orationum thymiamata redoleret,
ipse totus mens in Cælo,
hoc solo terrenus, quòd oculos in terra figeret,
vt se de terra ortum meminisset.
Contubernij Staringeliani Prouisor sollicitus,
ita omnibus alumnis prouidebat,

 vt seu

vt seu ad morum elegantiam seu laudatam modestiam,
rarum in seipso præstans exemplum, singulis sufficeret.
Sic honos, qui se insequentes fugit, fugientes insequitur.
Regiminis Academici & Sceptrorum,
viro, omni exceptione maiori
concordi Academicorum ordinum consensu, tribuitur:
quo vt gloriosè functus est, ita posteris eius, in rem boni publici administrandi,
exemplum reliquit.
Ergone iam binis cinctum caput Laureis, canet coronidem? minimè;
Succedit summo de Vaueli culmine Coronarum ternio,
iungitur anterioribus succedens arctissimè,
videtq; non inglorium, Laureis gloriari.
Requirebatur ad Complementum Togatæ Virtutis, omni ex parte, emerito vertici
Laurus Theologica,
quanquam pridem eruditorum Sententijs laureato;
& hæc conceditur gratiosè,
sicut in Ædibus gratiosis, ita memorabili confluxu Lechici Senaculi,
vel ex solo Serenissimi Poloniarum Regis IOANNIS, nomine gratioso.
Defuerat insuper Senario Coronarum numero septima,
omnibus gloriosior, quia immortalis,
vt vel ita Vir Sapiens referatur ad Sapientiam,
quæ ædificans sibi Domum, excidit in ea Columnas septem.
Maturat tandem gressum, licet immaturè, prodromus beatioris vitæ morbus
premit vitales spiritus,
spirare vix permittens, bene sperare promittit.
illum, qui nunquam non videre DEVM optabat,
Æternitatis Coronam, vitæ coronidem.
In ipsa veris medulla,
en flos maturus odore fragrans operum bonorum & virtutum,
Manna cælesti refectus, sacroq; perunctus Ceromate,
plenus dierum, communi omnium dolore succiditur:
quintâ Maj die, circa Meridiem, potissimum
vt æternæ visionis meridie potiatur.
Non ergo
copiosis lachrymarum imbribus, quos dolore exsiccata fundere nequis,
Niobe Academica, suda,
Num deuoti Mystæ manes, abscessisse inermes, longam in regionem dubitas?
adest præsto Iacobo de Sacra Carmelitarum Familia Angelus,
qui cum Solennitate sua occurrit,
in via sibi Æternitatis, ceu olim Patriarchæ, Spiritus Domini.
copiosam benedictionem largiturus:
vt post transgressum vitæ mortalis, Saluæ factæ animæ, statim
SOL IVSTITIÆ oriatur.

Permissu Magnifici Domini
R E C T O R I S.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0013546